

HOLY SEE PRESS OFFICE
OFICINA DE PRENSA DE LA SANTA SEDE



BUREAU DE PRESSE DU SAINT-SIEGE
PRESSEAMT DES HEILIGEN STUHLIS

BOLLETTINO

SALA STAMPA DELLA SANTA SEDE

N. 0433

Sabato 08.07.2000

LETTERA DEL SANTO PADRE ALL'INVIATO SPECIALE ALLE CELEBRAZIONI IN OCCASIONE DEL PELLEGRINAGGIO INTERNAZIONALE UCRAINO AL SANTUARIO MARIANO DI ZARVANYCIA (UCRAINA) (22-23 LUGLIO 2000)

LETTERA DEL SANTO PADRE ALL'INVIATO SPECIALE ALLE CELEBRAZIONI IN OCCASIONE DEL PELLEGRINAGGIO INTERNAZIONALE UCRAINO AL SANTUARIO MARIANO DI ZARVA- NYCIA (UCRAINA) (22-23 LUGLIO 2000)

In data 3 giugno 2000, il Santo Padre ha nominato l'Em.mo Card. Vinko Puljić Arcivescovo di Vrhbosna-Sarajevo, Suo Inviato Speciale alle celebrazioni in occasione del Pellegrinaggio Internazionale Ucraino al Santuario Mariano di Zarvanycia (Ucraina), in programma nei giorni 22-23 luglio 2000.

L'Em.mo Cardinale sarà accompagnato da una Missione composta da:

- Rev.do Sac. Hlib Lonchyna, Professore di Teologia all'Accademia Teologica di Lviv;
- Rev.do Sac. Vasil Dubets, Professore di Liturgia al Seminario Diocesano di Ternopil.

Pubblichiamo di seguito la Lettera del Santo Padre all'Em.mo Card. Puljić:

Venerabili Fratri Nostro

VINCENTIO S.R.E. Cardinali PULJIĆ

Archiepiscopo Vrhbosnensi

Insignes profecto testificationes annorum progressu singularemque pietatem in Virginem Mariam tribuere consuesse in orbe terrarum fideles probe scimus. Id contingere Ucrainam apud Graecam-Catholicam Ecclesiam pro comperto habemus, quae mox frequens ad spectabile coadunabitur Mariale Sanctuarium Zarvanycianum, veluti huius Magni Iubilaei fastigium impositura.

Consentaneo enim Ecclesiae Matris cultu et honore cupimus Nos Christianorum qui in Ucraina sunt animi ut

confirmentur, novo inde suscepto vigore et in pietatis opera gerenda incitamento. His spectatis rebus, libentes volentesque Venerabilis Fratris Nostri Miroslai Ivani Lubachivsky, Archiepiscopi Maioris Leopolitani Ucrainorum, optatis subvenire cupimus, cum insignis a Nobis Missus expetitus sit, qui Internationali Peregrinationi Ucrainae ad Sanctuarium Mariale Zarvanycianum, sollemniter diebus XXII et XXIII mensis Iulii agenda, interesset.

Nunc permagna permoti animi affectione te, Venerabilis Frater Noster, qui apud Nos singularem obtines locum, destinare studemus ad eam rem agendam, ut ritus ipse congrua sollemnitate evolvatur et pari dignitate absolvatur. Quocirca praestabilem simul aestimationem significantes, te Missum Extraordinarium constituimus, ut, peregrinationi illi quam supra diximus inibi intersis ipsamque vocem Nostram significes, unde cuncti, hoc praefulgente Magno lubilaeo, renovatam voluntatem mentemque, conciliatis animis, prae se ferant.

Palam demum benevolentiam Nostram declarabis et sollicitudinem, dum preces pariter fundimus ut caelestis Matris late proferatur pietas et gentibus illis magis magisque sit lucida ipsa virtutis veluti stella. Salutationem tandem fervidam omnibus transmittas et Benedictionem Nostram Apostolicam universis simul huius eventus participibus nomine Nostro Nostraque auctoritate largiaris velimus, quae sit divinarum gratiarum nuntia ac certum felicius temporis documentum.

Ex Aedibus Vaticanis, die X mensis Iunii, anno MM, Pontificatus Nostri altero et vicesimo.

IOANNES PAULUS II

[01562-07.01] [Testo originale: Latino]
